DE HORATII IN SATVRIS SERMONE LVDIBVNDO

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM SCRIPSIT

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM IENENSIVM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

GVALTHERVS LEICH

VIMARIENSIS.

VIMARIAE

TYPIS G. VSCHMANNI.

MCMX.

DE HORATII IN SATVRIS SERMONE LVDIBVNDO

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM SCRIPSIT

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM IENENSIVM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

GVALTHERVS LEICH

VIMARIENSIS.



VIMARIAE

TYPIS G. VSCHMANNI.

MCMX.

Genehmigt von der philosophischen Fakultät der Universität Jena auf Antrag des Herrn Professor Dr. Goetz.

Jena, den 8. Juni 1910.

Professor Dr. Edler,
d. Zt. Dekan.

PARENTIBVS CARISSIMIS

PRAEFATIO.

Duabus potissimum rebus fortuna prospere coniunctis fieri potest, ut scriptores parodici ludibundum poesis genus colant eaque in arte probentur hominibus: primum monumenta litterarum omnino esse oportet, quae in ridiculum vertantur; tum eos, qui legunt vel audiunt carmen parodicum, detortum poema ipsum novisse opus est, ut cavillationis subtilitatem perspiciant. Quod si cuius populi litteras perscrutantes hanc poesis provinciam excultam videmus, et qua auctoritate scriptor detortus fuerit et quatenus omnino populus litteris studuerit et faverit, colligere licet. Quod tecum reputans non miraberis, Graecis, qua erant ingeniorum eruditione, hanc Musam iocosam quam maximae animorum oblectationi fuisse. Atque iam per se intellegitur, non defuisse viros doctos, qui sedulo et curiose perquirerent, quibusnam Graecorum poetarum et scriptorum locis parodiae invenirentur quique essent, quorum sententiae sugillarentur.[1])

Valde autem dolendum est, quod de parodiarum apud Romanos usu nemodum libellum cognitione dignum composuit. Quin etiam Romanos omnino magnopere hac arte esse delectatos negavit Moser, cum diceret[2]): „Wenn wir nun auch in dieser sehr untergeordneten Art von Kunst der Gewandtheit des griechischen Geistes unsere Bewunderung nicht versagen können, so wird es uns auf der andern Seite nicht wundern, wenn wir uns bei den Römern fast vergeblich darnach umsehen. Der Römer war an sich zu ernsthaft, als daß ihm eine solche Spielerei hätte sehr gefallen können.“ Item iudicavit similibus verbis usus Eckstein[3]). Ac ne Delepierre quidem, qui ultimus in hoc studiorum campo versatus anno 1870 librum „La parodie chez

[1]) cf. Christ, „Gesch. d. Griech. Lit.“ 1908 [5] p. 393.

[2]) cf. studiorum a Daubio et Creuzero editorum vol. VI fasc. II p. 309 sq.

[3]) cf. Erschii et Gruberi encyclop. vol. XII (1839) sub verbo „Parodie“ p. 271.

les Grecs, chez les Romains et chez les modernes" inscriptum publici iuris fecit, quam multis veterum locis parodiae exstarent, cognovit. Hic enim praeter exempla notissima, quae sunt Vergili versus sugillati, quos Donatus in vita poetae Mantuani memoriae prodidit, Vergili Catullianae phaseli dedicationis parodia, Flori ab Hadriano versus in risum deflexi, non modo non ullum aliud affert, nisi quod p. 33 breviter nonnullas parodias in parietibus Pompeianis inscriptas esse inventas commemorat, sed etiam p. 29 hanc sententiam amplectitur: „il nous reste très peu de chose des parodies des Latins."

Hi viri docti quantopere erraverint, quicumque interiorem quandam litterarum Romanarum notitiam tenet, facile intellegit. Nonne Plautus [1]), Terentius [2]), Lucilius [3]), Varro Reatinus [4]), Horatius [5]), alii hoc fonte labra proluerunt? Optimo igitur iure Weyman, vir doctissimus Monacensis, quem per aestatem anni 1907 de Horatii saturis legentem audiebam, viva voce quamquam obiter, tamen satis feliciter monuit, quatenus scriptores Romani, inprimis Horatius, huic arti operam dedissent, attenta et assidua cura pervestigare operae pretium esse. Itaque ego quidem de Horatii in saturis sermone ludibundo disputare mihi proposui, qua in re disquirenda me ex commentariis, quibus viri docti saturas ornaverunt, fructum haud exiguum percepisse libenter confiteor. Quos libros praeterea in usum meum converterim, suo loco commemorabo.

Horatii saturas si quis paulo accuratius perleget, eum singularis quaedam dicendi varietas fugere non poterit. In universum quidem se cotidiani sermonis genere usum esse, qua de causa saturas etiam sermones vocat [6]), Horatius ipse testis est Sat. I 4, 41 sq.:

si qui scribat uti nos
sermoni propiora

et Sat. I 4, 54 sqq.:

non satis est puris versum perscribere verbis,
quem si dissolvas, quivis stomachetur eodem

---

[1]) cf. Leo, „Plautinische Forschungen" p. 119 sqq.; Norden, Verg. Aen. VI ind. Ia s. v. „Ennius-Plautus".

[2]) cf. Donatus ad Eunuchi III 5, 42.

[3]) cf. Marx, Lucil. carm. reliqu. indicis auct. s. v. „Ennius".

[4]) cf. Norden, l. c. p. 363 adn. 2.

[5]) cf. Norden, l. c. ind. Ia s. v. „Ennius-Horaz".

[6]) cf. epist. I 4; II 2, 60.

quo personatus pacto pater. his, ego quae nunc,
olim quae scripsit Lucilius, eripias si
tempora certa modosque, et quod prius ordine verbum est
posterius facias, praeponens ultima primis,
non, ut si solvas ‚postquam Discordia taetra
belli ferratos postis portasque refregit‘,
invenias etiam disiecti membra poetae.

Ac profecto saturae imaginem vulgaris sermonis perquam luculenter expressam exhibent [1]; ne obscena quidem vocabula, qualia sunt cunnus (I 2, 70), merda (I 8, 37), natis (I 8, 47), mictum atque cacatum (I 8, 38), commingere (I 3, 90), oppedere (I 9, 70), pedere (I 8, 46), permolere (I 2, 35) poeta adhibere veritus est. Ut

interdum tamen et vocem comoedia tollit [2],

ita in saturis quoque cotidiani sermonis tenorem interrumpunt loci, qui elegantiam et maiestatem altioris elocutionis prae se ferunt [3], id quod non mero casui, sed consilio ac rationi tribuendum esse censeo. Horatius enim locos quosdam verborum granditate et splendore prominere voluit, sive quod per se maiore elatione digni erant, sive quod gravitate ficta arti parodicae operam navans risum movere in animo habuit. Cuius speciei exempla priusquam enarremus, perpauca de parodiae natura atque indole disserere e re videtur esse.

Duo enim parodiae genera distinguenda sunt: alterum alicuius poetae scriptorisve locos salse aut imitatur verbis magis minusve commutatis aut immutatos profert, quam parodiam specialem vocemus. Alterum aliquem dicendi usum velut epicum cavillatur certi auctoris ratione non habita, quam parodiam generalem appellemus. Duplici autem consilio parodiae usurpantur: primum, ut loci scriptoris detorti ipsi irrideantur, tum ut neque sententiis auctoritas et honor detrahatur et vis quaedam comica efficiatur, quod plerumque fit, si per ironiam res humiles quaesita sermonis elegantia narrantur aut elocutiones graves cum vulgaribus componuntur. Quamquam in propatulo est parodias cognoscere nonnumquam perdifficile esse; saepius enim magis sentiuntur quam probantur. Cum igitur haud raro

---

[1]) cf. Cartault, „Étude sur les satires d'Horace“ Paris 1899 p. 219 sqq.
[2]) cf. Horat. Art. poet. 93.
[3]) cf. Cartault, l. c. p. 249 sqq.

solo sensu multum decipiente nitamur, fortasse nonnullis hic illic longius videbor progressus esse; nihilominus nimia anxietate in exemplis colligendis propter iocosam saturarum indolem uti nolui.

Sed iam poetae Venusini facetias et sales perlustremus! Totam autem materiem ita disponam, ut priore parte agam de iis locis, quibus Horatius certi auctoris videtur memor fuisse; posteriore de iis, qui parodiae generali adnumerandi sunt.

I. DE PARODIA SPECIALI.

I. DE ENNIO.

Quanta auctoritate apud Romanos Ennius fuerit, hodie magis magisque intellegunt homines docti. Non solum poetas [1]), sed etiam rerum scriptores, velut Claudium Quadrigarium [2]) et Livium [3]), quae apud illum optime dicta erant, in opera sua assumpsisse, sescentis exemplis luce clarius probatur. Itaque, cum notissimi cuiusque poetae loci in risum deflexi maximam vim habeant, non est, cur mireris, quod Horatius illius versus praeclarissimos satis iocose detorsit, id quod iam exemplis demonstraturi sumus.

1) Sat. I 2, 37 sq.:

audire est operae pretium, procedere recte
qui moechis non voltis, ut omni parte laborent

parodiam cognovit Porphyrio, qui haec adnotat: „urbane abutitur Ennianis versibus:

audire est operae pretium, procedere recte
qui rem Romanam Latiumque augescere vultis [4]).

Sed illud urbanius, quia, cum Ennius vultis dixerit, hic non vultis intulerit.“

2) Sat. II 2, 52:

parebit pravi docilis R o m a n a i u v e n t u s

---

[1]) Praeter libellos, quos Wreschniok dissertationis suae „De Cicerone Lucretioque Ennii imitatoribus“ (Vratislaviae 1907) p. 1 laudat, velim conferas commentationes Guendelii „De Ciceronis poetae arte“ (Lipsiae 1908) et Froebelii „Ennio quid debuerit Catullus“ (Ienae 1910).

[2]) cf. Norden, „Antike Kunstprosa“ I p. 179 adn. 1.

[3]) cf. Stacey, „Archiv f. lat. Lexik.“ vol. X (1898).

[4]) Hunc versum Varro Reatinus iocose in usum suum vocavit; cf. sat. Menipp. frg. 542: „e mea Φιλοφθονίᾳ natis, quos Menippea haeresis nutricata est, tutores do

qui rem Romanam Latiumque augescere vultis.

clausula epica, quae quam aliena ab argumento sit, nemo non intellegit, ex Ennio sumpta est[1]). Cf. Enn. A. 469:

cum sese exsiccat somno Romana iuventus

et 537: atque atque accedit muros Romana iuventus[2]).

Fortasse etiam totus Ennii versus A. 550:

optima cum pulchris animis Romana iuventus

Horatio obversatus est.

3) Enniana sententia usus Damasippus gravitate comica Horatium vituperat Sat. II 3, 3:

iratus tibi quod vini somnique benignus

quocum contendas Enn. A. 292:

nunc hostes vino domiti somnoque sepulti

368: laetantes, vino curatos, somnus repente

Verg. Aen. II 265:

invadunt urbem somno vinoque sepultam.

4) Locutionem „est operae pretium" ab Ennio usurpatam A. 16:

Lunai portum, est operae, cognoscite, cives

et A. 465: audire est operae pretium procedere recte

Catius, quo est dicendi tumore, adhibet Sat. II 4, 63:

est operae pretium duplicis pernoscere iuris | naturam

argumento cum ornatu epico discrepante.

5) Sat. II 8, 39:

invertunt Allifanis vinaria tota

quo spondeorum frequentia vertendi labor magnus facete depingitur, Horatius ad eiusdem Enniani similitudinem videtur composuisse, quem Vergilio Aen. IX 165:

indulgent vino et vertunt crateras aënos

---

[1]) Ovidium quoque hanc dictionem Ennianam per ludibrium usurpasse Art. am. I 459:

disce bonas artes moneo, Romana iuventus

docuit Zingerle libri „Ovidius u. s. Verhältnis zu d. Vorgängern u. gleichzeitigen römischen Dichtern" inscripti fasc. III p. 28.

[2]) Ad Ennii exemplar Vergilius conformavit exitus

Aen. I 467: hac fugerent Grai, premeret Troiana iuventus
I 699: iam pater Aeneas et iam Troiana iuventus
II 63: undique visendi studio Troiana iuventus
IV 162: et Tyrii comites passim et Troiana iuventus
VII 672: Catillusque acerque Coras, Argiva iuventus
VIII 182: vescitur Aeneas simul et Troiana iuventus
VIII 545: Euandrus pariter, pariter Troiana iuventus.

ante oculos versatum esse Servius testatur hisce verbis: ,et est hemistichium Ennianum'.

II. DE LUCRETIO.

Lucretii versus eodem modo, quo serio imitatus est, Horatius ludibundus in risum convertit.

1) Versibus lascivis Sat. I 5, 84 sq.:

tum immundo somnia visu
nocturnam vestem maculant ventremque supinum

poeta et in universum Lucretii, qui quae per somnia fiant exponens, IV 1030 sqq. extra iocum eandem rem commemorat quam Horatius, et simul versus IV 1036:

fluminis ingentis fluctus vestemque cruentent

videtur memor fuisse.

2) Poetam Sat. I 5, 101:

namque deos didici securum agere aevom

Lucretii V 82:

nam bene qui didicere deos securum agere aevom

iocantem detorquere recte comprobavit Weingaertner[1]).

3) Per ludibrium in argumentum obscenum Sat. I 8, 46 sq.:

nam, displosa sonat quantum vesica, pepedi
diffissa nate ficus ...

transferuntur Lucretii VI 129 sqq.:

tum perterricrepo sonitu dat fissa fragorem
nec mirum, cum plena animae vensicula parva
saepe det haut parvum sonitum displosa repente,

quibus fragor nubis ventis scissae cum vesicae displosae comparatur.

Complura exempla versuum Lucretianorum deflexorum inveniuntur libri II sat. IV, qua Catius Horatium praecepta culinarum docet festiva adhibita dicendi elegantia[2]), quae iocose a rerum tractatarum vilitate distat.

4) Ut Lucretius de rerum natura versus panxit, ita Catius de natura fungorum disserit Sat. II 4, 20 sq.:

pratensibus optima fungis
natura est.

In eo quoque Lucretianum huius loci colorem agnoscis, quod vocabulum „natura“ in fronte versus positum est, ut Lucret. I 71,

[1]) De Horatio Lucretii imitatore, Halae 1874, p. 8 sqq.

[2]) cf. p. 10, 35, 44.

303, 649, 678, 687, 776, 849; II 168, 181, 307, 665, 851, 877; III 15, 309, 315, 456, 1072; IV 1200; V 199, 331, 365; VI 609, 838, 907.

5) Neque solum fungorum, sed etiam piscium et avium naturam Catius novit Sat. II 4, 45:

piscibus atque avibus quae *natura* et foret aetas.

Quanta arte usus Horatius Archestrati Hed. frg. III:

τίς δ' ἰχθὺς καὶ ποῖος ἐὼν ἥδιστον (ἔδεσμα),
ἢ τίς ἀκμαιότατος, τίς δ' αὖ βρωτός γε μάλιστα
ἠὲ μετ' Ἀρκτοῦρον καὶ Πλειάδας ἢ Κυνὸς ἄστρον

ita Latine expresserit, ut Lucreti dicendi consuetudinem redoleant, iam vides conferens I 112:

ignorantur enim *quae sit natura animai*

V 509: *motibus* astrorum nunc *quae sit causa canamus*
V 775: noscere possemus *quae vis et causa cieret.*

6) Cum Catium gloriantem facit Sat. II 4, 45 sq.:

piscibus atque avibus quae natura et foret aetas
ante meum *nulli* patuit quaesita palatum

poeta in animum revocat celeberrimos Lucretii versus I 926 sqq.:

avia Pieridum peragro loca *nullius ante*
trita solo. iuvat integros accedere fontis
atque haurire, iuvatque novos decerpere flores[1])
insignemque meo capiti petere inde coronam,
unde *prius nulli* velarint tempora musae.

7) Facete Catius Sat. II 4, 63 sq.:

est operae pretium *duplicis pernoscere* iuris
naturam

sententiam apud Lucretium usitatissimam, cf. I 949 sq.:

dum *perspicis omnem*
naturam rerum

III 1072: *naturam* primum studeat *cognoscere rerum*
IV 385: nec possunt oculi *naturam noscere rerum*
IV 969: nos agere hoc autem et *naturam quaerere rerum*
VI 379 sq.: *naturam fulminis* ipsam
perspicere

ad rem culinam attinentem traducit.

---

[1]) cf. Horat. Sat. I 2, 78 sq.:
unde laboris
plus *haurire* mali est quam ex re *decerpere* fructus.

8) Sat. II 4, 93 sq.: at mihi cura
non mediocris inest, fontes ut adire remotos
atque haurire queam vitae praecepta beatae

Horatius, cum „praecepta vitae beatae“ ad epulas suaviter apparandas spectent, alia vi subiecta cavillatur Lucretii I 927 sq.:

iuvat integros accedere fontis
atque haurire.

9) Lucretii vestigia premens Horatius praeter Catium iocose Nasidienum de natura ciborum, quin etiam de causis loquentem fingit II 8, 92 sq.:

suavis res, si non causas narraret earum et
naturas dominus,

quibuscum conferas Lucret. IV 500:

et si non poterit ratio dissolvere causam

503: reddere mendose causas utriusque figurae

V 529: plurisque sequor disponere causas

V 620: non inquam, simplex his rebus reddita causast

VI 703 sqq.: sunt aliquot quoque res quarum unam dicere causam
non satis est

VI 706 sq.: fit ut omnis dicere causas
conveniat leti.

III. FURII

versus

Iuppiter hibernas cana nive conspuit Alpes,

quem Quintilianus quoque propter duram translationem vituperat[1], salse irridetur Sat. II 5, 40 sq.:

seu pingui tentus omaso
Furius hibernas cana nive conspuet Alpis.

IV. DE HOMERO.

Inter poetas Graecos Horatius singulari iocandi arte Homerum imitatus est, cuius cavillatorem inprimis libri II satura V se praebet, ubi Ulixem in Orco cum Tiresia colloquium conferentem reddit. Cum Ulixes iam quae mala sibi domum redeunti immineant, certior factus sit[2], poeta plane et aperte versu

1) II 5, 1 sq.:

hoc quoque, Tiresia, praeter narrata petenti
responde

[1]) cf. inst. orat. VIII 6, 17.

[2]) cf. II 5, 5 sqq.

ab Odyss. XI 139 sq.:

Τειρεσίη, τὰ μὲν ἄρ που ἐπέκλωσαν θεοὶ αὐτοί·
ἀλλ' ἄγε μοι τόδε εἰπὲ καὶ ἀτρεκέως κατάλεξον

initium sumit et versu 109 sq.:

2) sed me
imperiosa trahit Proserpina: vive valeque

ad Homeri XI 150 sq.:

ὣς φαμένη ψυχὴ μὲν ἔβη δόμον Ἄϊδος εἴσω
Τειρεσίαο ἄνακτος, ἐπεὶ κατὰ θέσφατ' ἔλεξεν·

exemplum se applicans finem collocutioni facit. Apud Homerum versibus inter indicatos intercedentibus Ulixes a Tiresia pietate et religione commotus, cur mater, quamquam propinqua sit, cum filio non sermocinetur, quaerit; cui vates unumquemque mortuorum, ubi primum de sanguine biberit, cum eo locuturum esse respondet. His igitur versibus sua supponens Horatius Ulixem a Tiresia quomodo rem amissam reparare queat, exquirentem fingit; ei ille ut per fraudes et consilia fallacia hereditatem capiat, suadet. Hoc quo significavi modo poeta in universum Homeri narrationem ad vile humileque argumentum deflectens [1]) detrahit; augetur autem vis comica eo, quod ubique luminibus cum ab aliis poetis [2]) tum ab Homero petitis versus suos ornat, quos locos iam allaturi sumus.

3) Cum versibus Sat. II 5, 3 sqq.:

iamne doloso
non satis est Ithacam revehi patriosque penatis
adspicere?

conferas Od. I 57 sqq.:

αὐτὰρ Ὀδυσσεύς,
ἱέμενος καὶ καπνὸν ἀποθρῴσκοντα νοῆσαι
ἧς γαίης, θανέειν ἱμείρεται.

Voce „doloso" epitheta illa ποικιλομήτης (Od. III 163; VII 168; XIII 293; XXII 115, 202, 281; Il. XI 482), πολυμήχανος (Od. V 203; X 401, 488, 504; XI 405, 473; XIII 375; XIV 486; XVI 167;

---

[1]) Mythologiae parodiam cum divinaret Hugo, qui vixit saeculo XII Aureliae princeps archiepiscoporum (cf. Groeber, Grundriß d. rom. Philologie II 1, 356) ex Horatii satura quasi novum argumentum mythologicum enucleavit — illis enim temporibus Homeri ipsius carmina ignota erant — et priscam formam restituit poemate Latino, quod anno 1907 commentario ornatum edidit Guilelmus Meyer in „Nachrichten d. Göttinger Ges. d. Wiss.".

[2]) cf. p. 30, 31, 35 sq., 39.

XXII 164; XXIV 192, 542), πολύτροπος (Od. I 1, X 330) ab Homero Ulixi indita vertuntur.

4) Sat. II 5, 5 sq.: vides ut
nudus inopsque domum redeam te vate, nec illic
aut apotheca procis intacta est aut pecus

poeta interpretatur Od. XI 114 sqq.:

ὀψὲ κακῶς νεῖαι, ὀλέσας ἄπο πάντας ἑταίρους
νηὸς ἔπ' ἀλλοτρίης· δήεις δ' ἐν πήματα οἴκῳ
ἄνδρας ὑπερφιάλους, οἵ τοι βίοτον κατέδουσιν.

5) Horatium Sat. II 5, 8:

et genus et virtus, nisi cum re, vilior alga est

Homericorum heroum de genere et virtute sententiam in contrarium vertere, vix est quod moneam; cf. e. gr. Ulixis verba Od. XXIV 508 sq.:

μή τι καταισχύνειν πατέρων γένος, οἳ τὸ πάρος περ
ἀλκῇ τ' ἠνορέῃ τε κεκάσμεθα πᾶσαν ἐπ' αἶαν

cui Telemachus respondet Od. XXIV 511 sq.:

ὄψεαι, αἴ κ' ἐθέλῃσθα, πάτερ φίλε, τῷδ' ἐπὶ θυμῷ
οὔτι καταισχύνοντα τεὸν γένος, ὡς ἀγορεύεις.

6) Sat. II 5, 18 sq.: haud ita Troiae
me gessi, certans semper melioribus

poetae animo sententias quales sunt Il. II 483:

ἐκπρεπέ' ἐν πολλοῖσι καὶ ἔξοχον ἡρώεσσιν

et Il. VI 208 = XI 784:

αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων

obversatas esse pro certo habendum est.

7) Sat. II 5, 20 sq.:
fortem hoc animum tolerare iubebo;
et quondam maiora tuli [1])

respondent Od. XX 18:

τέτλαθι δή, κραδίη· καὶ κύντερον ἄλλο ποτ' ἔτλης.

8) Initium II 5, 59:
o Laertiade

---

[1]) Vix recte Kießling Heinzio assentiente „tulit“ scribendum esse his verbis comprobavit „die deutliche Parodie dieser berühmten Worte scheint die Änderung ‚tulit‘ für das überlieferte tuli zu heischen“. Quamvis sit perspicua parodia, tamen nulla re Horatium quam accuratissime Homeri verba Latine reddidisse putare cogimur; est enim in parodiae natura positum, quod modo propius ad exemplar suum accedit, modo longius recedit. Quare codd. lectionem „tuli“ tenendam esse censeo.

Horatius ex Homero mutuatus est imitatus illud

Διογενὲς Λαερτιάδη

(cf. Od. V 203; X 401, 488, 504; XI 405, 473; XIII 375; XIV 486; XVI 167; XXII 164; XXIV 542).

9) Magna cum subtilitate Gercke, quem Kießling et Heinze secuti sunt, coniecit Sat. II 5, 59:

quidquid dicam, aut erit aut non

Stoicam doctrinam redolere[1]). Quam explicationem, quamvis sit arguta, tamen probare non possum. Ego quidem verbis „quidquid dicam, erit“ Horatium sententiam apud Homerum usitatissimam

ἀλλ' ἔκ τοι ἐρέω, τὸ δὲ καὶ τετελεσμένον ἔσται

(Od. II 187; XVII 229; XVIII 82; Il. II 257) vel

ὧδε γὰρ ἐξερέω, καὶ μὴν τετελεσμένον ἔσται

(Od. XVI 440; XIX 487; Il. XXIII 410) vel

ὧδε γὰρ ἐξερέω, τὸ δὲ καὶ τετελεσμένον ἔσται

(Od. XXI 337; Il. I 212; VIII 401; XXIII 672)[2]) in mentem revocare voluisse et verbis

aut non

clausulam Homericam notissimam

ἦε καὶ οὐκί

(Il. II 238, 300; X 445; Od. I 268; IV 80, 632; XI 493) vel

ὅς τ' αἴτιος ὅς τε καὶ οὐκί

(Il. XV 137) vel

εἴτε ψεῦδος ὑπόσχεσις εἴτε καὶ οὐκί

(Il. II 349) recepisse persuasum habeo.

10) Sat. II 5, 60:

divinare etenim magnus mihi donat Apollo

Horatius Homeri Il. I 72:

ἣν διὰ μαντοσύνην, τήν οἱ πόρε Φοῖβος Ἀπόλλων

similibus verbis atque Ennius utitur A. 18 sq.:

doctusque Anchisesque Venus quem pulchra dearum
fari donavit, divinum pectus habere

in usum suum vocat.

11) Sat. II 5, 79 sq.:

venit enim magnum donandi parca iuventus
nec tantum Veneris quantum studiosa culinae

---

[1]) cf. Mus. Rhen. 48 p. 52 ... das ist das stoische Axiom ἤτοι ἔσται ἢ οὐκ ἔσται.
[2]) cf. praeterea Od. II 176; XIII 178; XVIII 271; Il. II 330; XIV 48.

paucis verbis redduntur Od. XVIII 275 sqq.:

μνηστήρων οὐχ ἥδε δίκη τὸ πάροιθε τέτυκτο
οἵ τ' ἀγαθήν τε γυναῖκα καὶ ἀφνειοῖο θύγατρα
μνηστεύειν ἐθέλωσι καὶ ἀλλήλοις ἐρίσωσιν,
αὐτοὶ τοί γ' ἀνάγουσι βόας καὶ ἴφια μῆλα
κούρης δαῖτα φίλοισι, καὶ ἀγλαὰ δῶρα διδοῦσιν,
ἀλλ' οὐκ ἀλλότριον βίοτον νήποινον ἔδουσιν.

12) Ut apud Homerum Od. XI 285 sq.:

αὐτὰρ ἐπεὶ ψυχὰς μὲν ἀπεσκέδασ' ἄλλυδις ἄλλη
ἁγνὴ Περσεφόνεια

et Od. XI 225 sq.: αἱ δὲ γυναῖκες
ἤλυθον — ὤτρυνεν γὰρ ἀγαυὴ Περσεφόνεια

ita apud Horatium II 5, 109 sq.:

sed me
imperiosa trahit Proserpina

umbrae in dicione Proserpinae sunt.

Verba „imperiosa Proserpina" legentibus in memoriam veniunt Homeri ἐπαινὴ Περσεφόνεια; cf. Od. X 491, 534, 564; XI 47; Il. IX 457, 569.

Iam quae exempla Homericae dictionis per ludibrium adhibitae in libri I satura VII inveniantur, ubi Horatius festiva dicendi gravitate altercationem Rupili et Persi narrat, perlustremus.

13) Verbis Sat. I 7, 11 „adversum bellum" vertuntur Homeri δήιος πόλεμος (cf. Il. IV 281; V 117; VII 119, 174; XVII 189; XIX 73; XXI 422).

14) Versus initium Ἕκτορα Πριαμίδην (cf. Il. XIII 316; XIV 375; XV 604; XVII 503; XVIII 164) Horatius repetit Sat. I 7, 12:

Hectora Priamiden.

15) Sat. I 7, 13: ut ultima divideret mors

poetae animo obversabantur Homeri τέλος[1]) θανάτοιο (cf. Od. V 326; XVII 476; XXIV 124; Il. III 309; V 553; XI 451; XVI 502, 855; XXII 361).

16) Sat. I 7, 16 sqq.:

aut si disparibus bellum incidat, ut Diomedi
cum Lycio Glauco, discedat pulchrior, ultro
muneribus missis

[1]) Verba ‚τέλος' et ‚ultimus' inter se respondere cognoscis collatis Cic. de fin. III 7, 26: „sentis, credo, me iam diu quod τέλος vocant Graeci, id dicere tum extremum, tum ultimum, tum summum."

in risum deflectuntur Il. VI 234 sqq.:

ἔνθ' αὖτε Γλαύκῳ Κρονίδης φρένας ἐξέλετο Ζεύς,
ὃς πρὸς Τυδεΐδην Διομήδεα τεύχε' ἄμειβεν
χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων.

17) Similiter atque Horatius Sat. I 7, 21:

magnum spectaculum uterque

Homerus dicit μέγα θαῦμα (cf. Od. XIX 36; Il. XIII 99; XV 286; XX 344; XXI 54) et θαῦμα ἰδέσθαι (cf. Od. VI 306; VII 45; VIII 366; XIII 108; Il. X 439; XVIII 83, 377).

18) Sat. I 7, 25: canem [1]) illum
invisum agricolis sidus, venisse

Horatius Homeri Il. XXII 26 sqq.:

παμφαίνονθ' ὥς τ' ἀστέρ' ἐπεσσυμένον πεδίοιο,
ὅς ῥά τ' ὀπώρης εἶσιν, ἀρίζηλοι δέ οἱ αὐγαὶ
φαίνονται πολλοῖσι μετ' ἀστράσι νυκτὸς ἀμολγῷ,
ὅν τε κύν' Ὠαρίωνος ἐπίκλησιν καλέουσιν·
λαμπρότατος μὲν ὅ γ' ἐστί; κακὸν δέ τε σῆμα τέτυκται
καί τε φέρει πολλὸν πυρετὸν δειλοῖσι βροτοῖσιν

Achillem cum Sirio componentis iocose imitatur. Alterius poetae verba hucusque ignota Horatii loco subesse non tam certe persuasum habeo quam Kießling probante Heinzio sic argumentans: „invisum agricolis sidus weist in seiner Vermischung des homerischen κακὸν δέ τε σῆμα τέτυκται (X 30) mit theokriteischem κακὸν τέρας ἀγροιώταις (25, 168 vom nemeischen Löwen) auf ein noch unbekanntes, aber auch von Germanicus 339 benutztes griechisches Vorbild hin.“ Nam poetam Il. XXII 30 sq.:

κακὸν δέ τε σῆμα τέτυκται
καί τε φέρει πολλὸν πυρετὸν δειλοῖσι βροτοῖσιν

conglutinantem leviterque mutantem, sive quod Theocriteum illud κακὸν τέρας ἀγροιώταις in memoria eius haerebat sive quod ex suo ipsius ingenio hauriebat, ad suam interpretationem venisse, quominus censeamus quid obstat? Ac ne Germanici quidem Arat. 335 sqq.:

[1]) Huic verbo ambiguitas inest, cum vox „canis“ etiam contumeliose de hominibus dicatur; cf. Plaut. Bacch. 1146; Ter. Eun. 803; Cic. Verr. V, 47. Pariter Horatius ludit vocabulis „Rex“ I 7, 35, „Ilia“ I 2, 126 (cf. L. Mueller), „cantare“ I 10, 19 (cf. Kießl.-Heinze), „plorare“ I 10, 91 (cf. Krueger) aemulatus Cynicos, qui *ἀμφιβολίαν* perlibenter adhibebant (cf. Wachsmuth, Corpusc. poes. ep. lud. fasc. II p. 71 sq.).

Sirion hunc Grai proprio sub nomine dicunt.
cum tetigit solis radios, accenditur aestas,
discernitque ortu longe sata, vivida firmat,
at quibus adfectae frondes aut languida radix,
exanimat. nullo gaudet maiusve minusve
agricola et sidus primo speculatur ab ortu

virorum doctorum sententiam satis confirmant.

19) Ut Homerus Diomedem in Troianos ruentem Il. V 87 sq.:

θῦνε γὰρ ἂμ πεδίον ποταμῷ πλήθοντι ἐοικὼς
χειμάρρῳ

ita Horatius Sat. I 7, 26 sq.: ruebat
flumen ut hibernum

Persium conviciantem cum flumine rapido comparat.

Similiter atque in iurgio Rupili et Persi describendo Horatius Messi Cicirri et Sarmenti certamen narraturus Homerica dictione abutitur.

20) Sat. I 5, 51: nunc mihi paucis
Sarmenti scurrae pugnam Messique Cicirri,
musa, velim memores

gravitate ficta illud Homeri

ἔσπετε νῦν μοι Μοῦσαι, Ὀλύμπια δώματ᾽ ἔχουσαι [1])

(Il. II 484; XI 218; XIV 508; XVI 112) in re humillima adhibet.

21) Sat. I 5, 54 sqq.: Messi clarum genus Osci;
Sarmenti domina exstat: ab his maioribus orti [2])
ad pugnam venere

---

[1]) Eodem versu luserunt apud Graecos Hermippus frg. 63, 1 (Kock):

ἔσπετε νῦν μοι Μοῦσαι Ὀλύμπια δώματ᾽ ἔχουσαι

et Timon Phliasius frg. I (Wachsmuth corpusc. poes. ep. lud. fasc. II p. 89):

ἔσπετε νῦν μοι ὅσοι πολυπράγμονές ἐστε σοφισταί.

[2]) Ceterum Horatius hoc loco in Homero cavillando Bionis vestigia videtur pressisse, de quo Diogenes Laertius IV 46 sq. haec tradit:
„*ἐρομένου* (sc. *Ἀντιγόνου*) *γὰρ αὐτὸν*

Τίς πόθεν εἷς ἀνδρῶν; πόθι τοι πόλις ἠδὲ τοκῆες;

αἰσθόμενος ὅτι προδιαβέβληται, φησὶ πρὸς αὐτόν· „ἐμοὶ ὁ πατὴρ μὲν ἦν ἀπελεύθερος, τῷ ἀγκῶνι ἀπομυσσόμενος — διεδήλου δὲ τὸν ταριχέμπορον — γένος Βορυσθενίτης, ἔχων οὐ πρόσωπον, ἀλλὰ συγγραφὴν ἐπὶ τοῦ προσώπου, τῆς τοῦ δεσπότου πικρίας σύμβολον· μήτηρ δὲ οἵαν ὁ τοιοῦτος ἂν γήμαι, ἀπ᾽ οἰκήματος. ἔπειτα ὁ πατὴρ παρατελωνησάμενός τι πανοίκιος ἐπράθη μεθ᾽ ἡμῶν. καί με ἀγοράζει τις ῥήτωρ νεώτερον ὄντα καὶ εὔχαριν· ὃς καὶ ἀποθνήσκων κατέλιπέ μοι πάντα. κἀγὼ κατακαύσας αὐτοῦ τὰ συγγράμματα καὶ πάντα συγξύσας Ἀθήναζε ἦλθον καὶ ἐφιλοσόφησα.

Ταύτης τοι γενεῆς τε καὶ αἵματος εὔχομαι εἶναι.

Homericam dicendi consuetudinem redolent: maiores nobilissimos ostentans Glaucus Lydius, postquam quo sit genere ortus fusius explicavit (cf. Il. VI 150 sqq.), finem narrandi facit Il. VI 211:

ταύτης τοι γενεῆς τε καὶ αἵματος εὔχομαι εἶναι

itemque Aeneas Il. XX 241.

Ut libri II satura V salse argumento orationem accommodavit, ita Horatius festive Damasippum Stoicum cum sententias epicas[1]) tum Homericos versus usurpantem facit Sat. II 3, 187 sqq., quibus Stoicam vel Cynicam diatriben in usum suum vocat[2]) quasi mythologico fuco illitam.

22) Sat. II 3, 191: di tibi dent capta classem redducere Troia poeta Homeri Il. I 18:

ὑμῖν μὲν θεοὶ δοῖεν Ὀλύμπια δώματ᾽ ἔχοντες
ἐκπέρσαι Πριάμοιο πόλιν, εὖ δ᾽ οἴκαδ᾽ ἱκέσθαι

Latine reddit.

23) Verba Sat. II 3, 193: Aiax, heros ab Achille secundus spectant ad Il. II 768 sq.:

ἀνδρῶν αὖ μέγ᾽ ἄριστος ἔην Τελαμώνιος Αἴας
ὄφρ᾽ Ἀχιλεὺς μήνιεν· ὁ γὰρ πολὺ φέρτατος ἦεν

vel Il. XVII 279 sq.:

Αἴας, ὃς πέρι μὲν εἶδος, πέρι δ᾽ ἔργα τέτυκτο
τῶν ἄλλων Δαναῶν μετ᾽ ἀμύμονα Πηλεΐωνα.

24) Sat. II 3, 195:

gaudeat ut populus Priami Priamusque inhumato

Horatius interpretatur Il. I 255:

ἦ κεν γηθήσαι Πρίαμος Πριάμοιό τε παῖδες
ἄλλοι τε Τρῶες μέγα κεν κεχαροίατο θυμῷ.

Iam quae exempla in singulis saturis dissipata restent, enarremus.

25) Sat. I 9, 78: sic me servavit Apollo
Horatius ludibundus ex Il. XX 443: τὸν δ᾽ ἐξήρπαξεν Ἀπόλλων
mutuatur.

26) Salse Trebatius Sat. II 1, 60 sq.: o puer, ut sis
vitalis metuo
Horatium allocutus in Thetidis de filii morte praematura querentis verba Il. XVIII 95 ὠκύμορος δή μοι, τέκος, ἔσσεαι, οἷ᾽ ἀγορεύεις[3]) iocatur.

---

[1]) cf. locos p. 28 sq., 34, 38 sq., 42 sq. tractandos.

[2]) cf. Kießling-Heinze ad v. 187.

[3]) Hunc versum paululum mutatum Diogenes in iuvenem quendam magno pretio obsonantem iactavit; cf. Diog. Laert. VI 2, 53: *πρὸς τὸν πολυτελῶς ὀψωνοῦντα ὠκύμορος δή μοι, τέκος, ἔσσεαι, οἷ᾽ ἀγοράζεις.*

27) Sat. II 3, 72: cum rapies in ius malis ridentem alienis poeta cavillatur versum Od. XX, 347:

οἳ δ' ἤδη γναθμοῖσι γελώων ἀλλοτρίοισιν.

V. ZENONIS LAUS,

quae exstat Diog. Laert. VII 27:

τὸν δ' οὔτ' ἂρ χειμὼν κρυόεις, οὐκ ὄμβρος ἀπείρων
οὐ φλὸξ ἠελίοιο δαμάζεται, οὐ νόσος αἰνή,
οὐκ ἔροτις δήμου ἐναρεῖ μένος, ἀλλ' ὅ γ' ἀτειρὴς
ἀμφὶ διδασκαλίῃ τέταται νύκτας τε καὶ ἦμαρ

in ludibrium vertitur Sat. I 9, 31 sqq.:

hunc neque dira venena, nec hosticus auferet ensis,
nec laterum dolor aut tussis, nec tarda podagra;
garrulus hunc quando consumet cumque: loquacis,
si sapiat, vitet, simul atque adoleverit aetas.

VI. DE ENNIO.

Iam ut ea, quae adhuc disputavimus, complectamur, haec est summa: locis longe plurimis Horatius ora ad Homeri fontem admovit, compluribus colores Lucretianos induit, uno Furii vestigia, uno Zenonis laudis pressit, paucis tantummodo, si quanti momenti Ennii carmina fuerint nobiscum reputamus, poetam Rudinum exemplar sibi proposuisse videtur, qua in re primo obtutu aliqua ex parte offendimus. Eximuntur autem scrupuli deliberantibus, facile fieri posse, ut versus haud exigui, quibus Ennianorum quorundam deflexorum vestigia latent, nobis elabantur, cum Ennii carminum pars multo maior aetatem non tulerit.

Nihilominus ex eo, quod Ennium qui post eum fuerunt poetae Romani summo studio in versibus componendis imitati sunt, aliquantum efficere possumus. Compluribus enim locis parodicis Horatio et aliis poetis sententiae quaedam, quas ex Ennio depromptas esse verisimile est, quamquam in Ennianis fragmentis non exstant, communes sunt.

Atque primum quidem, quibus locis parodiam prodentibus Horatius cum antecedentium poetarum Ennium redolentibus congruat, edocebo.

1) In re humili et vulgari usurpatur circumlocutio elegantissima Sat. I 2, 32: sententia dia Catonis.
Eandem locutionem, quam Lucilium 1316 „Valeri sententia dia“

ex Ennio detorsisse Marx[1]) adstipulante Cichorio[2]) coniecit, adhibuit Lucretius III 371:

Democriti quod sancta viri sententia ponit.

Horatium quoque hoc loco Ennii memorem fuisse idem Marx suspicatus est.

2) Festive arte poetica ignis exoriens describitur Sat. I 5, 73:

nam vaga per veterem dilapso flamma culinam
Volcano summum properabat lambere tectum.

Ad Ennium poeta se applicare videtur, cum flammam vocat vagam; „vagari" enim de flammis adhibet Lucretius VI 152:

lauricomos ut si per montis flamma vagetur
turbine ventorum comburens impete magno,

qui versus Ennium sapiunt propter similitudinem A. 487:

cum magno strepitu Volcanum ventus vegebat.

Fortasse etiam verbum „lambere", cuius in usu cum Horatio congruunt Lucretius V 396:

ignis enim superat et lambens multa perussit

et Vergilius Aen. II 684:

lambere flamma comas et circum tempora pasci

III 574: attolitque globos flammarum et sidera lambit,

ex Ennio sumptum est.

Restant autem loci parodici, quorum similes ante Horatii saturas editas non iam inveniuntur, quique cum Aeneidis Vergilii quibusdam mirum in modum consentiunt. Cum nequaquam sumere liceat, Vergilium eos Horatii versus imitatum esse, quibus dictiones epico pondere graves, ut vis comica efficiatur, adhibentur, nihil relinquitur, nisi ut fontem communem eum poetam esse, qui et parodico et epico exemplar ultro se obiecit, Ennium dico, statuamus, quam sententiam nuper Norden confessus est hisce verbis[3]): „Was für Vergil und Lucilius gilt, das hat auch für Vergil und die Satiren des Horaz zu gelten: findet sich an den zahlreichen Stellen, wo Horaz, dem Stil dieses γένος entsprechend, den epischen χαρακτήρ parodiert, eine mehr oder minder wörtliche Übereinstimmung in der Phraseologie mit Vergils Äneis, so hat unbedingt Ennius als das gemeinsame Prototyp zu

[1]) vide eius adn. ad Lucil. 1316.
[2]) „Untersuchungen zu Lucilius", Berlin 1908, p. 348.
[3]) l. c. p. 363 adn. 2.

gelten. Denn Ennius mußte ja für Horaz ... dieselbe Rolle spielen, wie für die griechischen Parodisten Homer und wie dann für die nachhorazischen Satiriker Vergil selbst."

Age iam eos locos afferamus, quibus Horatium Ennium detorsisse ex eo cognoscitur, quod magis minusve cum Vergilio congruit.

a) DE VERSIBUS SIMILIBUS.

1) Elegantissime Horatius strepitum marito uxoris perfidae redeunte ortum depingit Sat. I 2, 128 sq.:

undique magno
pulsa domus strepitu resonet

quibus verbis vim comicam inesse voluit, cum valde distent ab eis, quae vulgaribus vocibus usus versibus antecedentibus narrat. Quamquam ad supellectilem poeticam, ut ita dicam, descriptio strepitus in domo editi pertinebat, cf. Od. III 493; XV 146, 191:

ἐκ δ' ἔλασαν προθύροιο καὶ αἰθούσης ἐριδούπου

Od. XX 176: καὶ τὰς μὲν κατέδησεν ὑπ' αἰθούσῃ ἐριδούπῳ

Accii „Aenead. sive Dec." frg. II:

clamóre et gemitu témplum resonit caélitum

Accii Clutem. frg. I: sed válvae resonunt régiae

Verg. Aen. I 725 sq.: it strepitus tectis vocemque per ampla volutant atria

II 486 sqq.: at domus interior gemitu miseroque tumultu
miscetur, penitusque cavae plangoribus aedes
femineis ululant; ferit aurea sidera clamor

XII 607: resonant late plangoribus aedes,

tamen, quin hoc loco Horatius ex Ennio pendeat, non dubito, cum simillimum versum exhibeat Vergilius Aen. V 150:

pulsati colles clamore resultant.

2) Sat. I 5, 102 sq.: deos id
tristis ex alto caeli demittere tecto

quorum natura iocosa, cum versum 101 parodice dictum esse iam viderimus[1]), aperta est, propter similitudinem Verg. Aen. VIII 701:

caelatus ferro tristesque ex aethere Dirae

Enniana continere censeo.

3) Sat. I 8, 23:

Vidi egomet nigra succinctam vadere palla

difficultas inest hucusque a viris doctis non satis notata. Moris enim erat, ut in rebus magicis et sacris arte cohaerentibus quae

[1]) cf. p. 11.

vincta erant, solverentur[1]), quare Canidia apud Horatium pedibus nudis passoque capillo vadit. Vestes quoque esse solutas, discimus ex Ov. Her. VI 89:

per tumulos errat passis discincta capillis

Met. I 381 sq.: discedite templo
et velate caput, cinctasque resolvite vestes

Met. I 398: descendunt velantque caput tunicasque recingunt

Met. VII 182: egreditur tectis vestes induta recinctas

Tibulli I 5, 15: ipse ego velatus filo tunicisque solutis

Verg. Aen. IV 518: unum exuta pedem vinclis, in veste recincta[2])

quem ad versum in Servii commentario haec verba adnotata sunt: „... neque supra genu succinctam esse, quod hic vult tangere ‚unum exuta pedem vinclis in veste recincta' non sublata, sed summissa: nam sic est dictum ‚recincta', ut resoluta, ut remissa." Vides igitur Horatium a communi artis magicae descriptione recedere. Iam si conferes Verg. Aen. VI 555:

Thisiphoneque sedens, palla succincta cruenta

concedes, poetam Canidiam, quippe quae furiae speciem praeberet[3]), per ludibrium ita depinxisse, ut Ennius eo versu, quem Vergilius quoque in usum suum vocavit (VI 555), Furiam. Confirmatur haec suspicio eo, quod poetae Furias omnino pallis indutas reddebant; cf. praeter Verg. Aen. VI 555

Aen. VIII 702: et scissa gaudens vadit Discordia palla

Ovid. Met. IV 480 sqq.:

nec mora, Tisiphone madefactam sanguine sumit
importuna facem, fluidoque cruore rubentem
induitur pallam

Valer. Flacc. II 106:

virginibus Stygiis nigramque simillima pallam.

Ennium autem Furias easque proelia miscentes commemorasse ex eis quae paulo infra disputabimus elucebit[4]).

---

[1]) Causam explicat Servius (Verg. Aen. III 370): „... in ratione sacrorum par est et animae et corporis causa: nam plerumque quae non possunt circa animam fieri, fiunt circa corpus, ut solvere vel ligare, quo possit anima, quod per se non potest, ex cognatione sentire. inde est (IV 518): ‚unum exuta pedem vinclis in veste recincta'. bene ergo Helenus cuncta corporis solvit, ne qua parte animo religato ad numen accedat."

[2]) Item describitur maga ab Ariosto Rol. fur. VII 50, 3 sq.:

e scinta e scalza montò sopra a quello
a chiome sciolte e orribilmente passe.

[3]) cf. I 8, 25 et 45.

[4]) cf. p. 29.

4) Sat. II 1, 58: seu mors atris circumvolat alis

poeta festiva ironia usus simulare videtur, se ab inimicis in mortis discrimen vocari posse. Cuius superlationis vis comica augetur verborum splendore et nobilitate. Similes sunt Verg. Aen. II 360:

nox atra cava circumvolat umbra,

et VI 866: sed nox atra caput tristi circumvolat umbra

qui versus Ennium redolent; cf. Ann. 433:

nox quando mediis signis praecincta volabit.

Cum apud Ovidium quoque, qui Ennianis sua ornare minime sprevit [1]), eadem clausula Met. XIV 507:

circumvolat alis

et Trist. II 171: circumvolat alis

inveniatur, ad quam prope accedunt A. A. II 19 sq.:

et habet geminas quibus avolet alas

Met. I 264: madidis Notus evolat alis

Halieut. 6: pinnis sic evolat ales

Ennii locutionem loco Horatiano latere conicere licet.

Vestigia Ennianae dictionis satis perspicua occurrunt in fabula, quam Horatius II 6, 79 sqq. iocose epico sermone [2]) narrat.

5) Sat. II 6, 93: carpe viam, mihi crede, comes

sententia „viam carpere“ quae primum invenitur Horat. Sat. I 5, 95:

carpentes iter

tum Verg. Georg. III 347: iniusto sub fasce viam quam carpit

Aen. VI 629: sed iam age, carpe viam

Ovid. A. A. II 44: aërias hominem carpere posse vias

Fast. V 88: qui pede carpit iter

Fast. V 496: carpebant . . . . vias

Fast. V 666: qui pede carpis iter

Met. III 12: hac duce carpe vias

Met. VIII 208: me duce carpe vias

Met. X 709: carpit iter

Met. XIV 122: dumque iter . . . . carpit

Trist. I 10, 4: carpit iter

Nucis 44: carpit inanis iter

in usu communi videtur fuisse, praesertim cum Vergilius similes sententias, velut „carpere aëra“ (Georg. IV 311), prata

[1]) cf. Zingerle l. c. fasc. II p. 1 sqq.

[2]) Praeter versus, quos tractaturus sum sub numeris 5, 6, 7, cf. locos p. 33, 36, 40, 41, 45 sq. afferendos.

(Georg. III 142), rura (Georg. III 324) usurpet[1]). Versu autem Sat. II 6, 93 Horatium certi Enniani memorem fuisse arbitror, quod ut comprobemus,

6) versus Sat. II 6 a 93 usque ad 102 conferamus necesse est cum Vergili Aen. VI a 629 usque ad 638. Apud Horatium mus urbanus agrestem, ut proficiscantur, hortatur, quibus dictis mus agrestis obtemperat; ambo festinantes viam faciunt quoque tendunt, perveniunt. Apud Vergilium Sibylla Aeneam ut secum quam celerrime proficiscatur, impellit; Aeneas ei morem gerit, ambo iter ingrediuntur, quemque locum petunt, capiunt. Singularis locorum concentus illustrabitur hac tabula:

Horatius	Vergilius
93: carpe viam, mihi crede	629: sed iam age, carpe viam
(98: domo levis exsilit)	(630: adceleremus)
97 sq.: haec ubi dicta agrestem pepulere	633: dixerat
98 sq.: inde ambo propositum peragunt iter	633 sq.: et pariter gressi per opaca viarum corripiunt spatium medium
101 sq.: ponit uterque in locuplete domo vestigia	638: devenere locos laetos

Reputa tecum quaeso, Vergilium totos locos Ennianos in usum suum convertisse, Horatium tota fabula narranda epico dicendi genere uti, Horatium et Vergilium mirum in modum congruere, facere non poteris, quin concedas, utrumque poetam eundem Ennii locum imitatum esse et sententiam „carpe viam“ ex eodem versu deprompsisse. Uter ad exemplar commune singulis versibus propius accesserit, hodie non iam diiudicare possumus.

7) Sat. II 6, 99: ambo propositum peragunt iter
conferentem cum Aen. VI 384:
ergo iter inceptum peragunt fluvioque propinquant
et Aen. VIII 90: ergo iter inceptum celerant rumore secundo[2])

---

[1]) cf. Norden ad Verg. Aen. VI 629.

[2]) Sententiam „iter peragere“ praeterea exhibet Ovid. Fast. I 188:
et peragat coeptum dulcis ut annus iter
ex P. I 4, 32: ille peregit iter
ex P. I 10, 6: et peragit soliti vena tenoris iter
ex P. IV 10, 54: et tacite peragens lene Melanthus iter.

similitudo non fugiet. Ennii versum Vergilio obversatum esse clausulis quoque indicatur[1]).

b) INITIUM

Sat. I 5, 20: iamque dies aderat

quo Horatius iocose versui epicum colorem induit, ex Ennio videtur repetivisse, cum eandem sententiam in fronte versus positam videamus Verg. Aen. II 132:

iamque dies infanda aderat

V 49: iamque dies, nisi fallor, adest

Ovid. Met. III 519: namque dies aderit.

c) DE VERSUUM CLAUSULIS.

1) Sat. I 4, 85:

hic niger est, hunc tu, *Romane, caveto*

adversarius tumidis verbis falsissimum de Horatio iudicium continentibus eaque de causa risum moventibus finem imponit. Ex eo, quod Vergilius Aen. VI 851:

tu regere imperio populos, *Romane, memento*

similem clausulam exhibet, recte Norden Ennii versum quendam utrique loco subesse coniecit[2]), quae sententia eo quoque stabilitur, quod Ennium συνεκδοχῆς figuram usurpasse Ann. 547:

at Romanus homo, tamen etsi res bene gesta est
corde suo trepidat

et vocabuli „Romanus" formas palimbacchium efficientes eodem hexametri loco, quo Horatius et Vergilius, posuisse videmus legentes Ann. 101:

virgines, nam sibi quisque domi *Romanus* habet sas
469: cum sese exsiccat somno *Romana* iuventus
500: moribus antiquis res stat *Romana* virisque
537: atque atque accedit muros *Romana* iuventus
550: optima cum pulchris animis *Romana* iuventus.

2) Sat. I 6, 12 sq.:

contra Laevinum, Valeri *genus, unde Superbus*
Tarquinius regno pulsus fugit

Horatius Laevinum eo acerbius castigat, quo minus in illum, quippe qui homo minimi pretii sit, orationis calamistri quadrant. Fortasse versus 12 hemistichium:

genus unde Superbus

---

[1]) cf. Norden ad Verg. Aen. VI 384.

[2]) l. c. p. 330.

ad certi Enniani exemplar conformatum est, cum simillimum in modum excidat Verg. Aen. I 6:

inferretque deos Latio, genus unde Latinum,

licet verba „genus unde" omnino apud poetas sibi vicina legantur[1]).

3) Horatium ludibundum Sat. II 3, 194:

servatis clarus Achivis

clausulam Ennianam detorquere concedes Nordeno (l. c. p. 324) conferenti Verg. Aen. VI 837:

caesis insignis Achivis[2]).

4) Tumore verborum ridiculo Damasippus sententiam simplicem „is furiosus est" per ambitum verborum enuntiat Sat. II 3, 223:

hunc circumtonuit gaudens Bellona cruentis.

Deos iis rebus, quarum curam et tutelam habent, gaudere, locutio poetica est, quam Romani a Graecis assumspere; cf. Callim. lav. Pall. 43 sq.:

ἔξιϑ' Ἀϑαναία περσέπτολι, χρυσεοπήληξ
ἵππων καὶ σακέων ἁδομένα πατάγῳ

Horat. carm. I 2, 38:

quem (sc. Martem) iuvat clamor, galeaeque leves

carm. I 26, 6 sq.: o quae (sc. Pipleis) fontibus integris
gaudes

Il. Lat. 264: duro Mars milite gaudet.

Sed cum Vergilius eadem ratione versus exitum conformet Aen. VII 800: praesidet et viridi gaudens Feronia luco Ennianum exemplar utrique poetae obversatum esse verisimile est. Quin etiam habemus, cur Horatium cum de Bellona loquitur, Ennii memorem fuisse suspicari liceat. Bellona enim, belli

---

[1]) cf. Lucret. I 227: unde animale genus
Prop. I 22, 1: qualis et unde genus, qui sint mihi, Tulle, penates
Verg. Aen. I 743: unde hominum genus et pecudes, unde imber et ignes
V 123: caerulea, genus unde tibi, Romane Cluenti
V 568: alter Atys, genus unde Atii duxere Latini
V 801: unde genus ducis
VI 766: unde genus Longa nostrum dominabitur Alba
VIII 71: nymphae, Laurentes nymphae, genus amnibus undest
VIII 114: qui genus? unde domo?

[2]) Similes sunt clausulae Verg. Aen. IV 134:
Poenorum expectant, ostroque insignis et auro
VI 403: Troïus Aeneas, pietate insignis et armis
Ovid. Met. VII 103: agmine purpureus sceptroque insignis eburno
Il. Lat. 8: sceptriger Atrides et bello clarus Achilles.

dea, a poetis epicis, ubicumque proelia describebant, munere suo fungens induci solebat, ut a Vergilio; cf. Aen. VIII 700 sqq.:

saevit medio in certamine Mavors
caelatus ferro tristesque ex aethere Dirae,
et scissa gaudens vadit Discordia palla,
quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello [1])

qui Ennianae dictionis vestigia prae se ferunt. Ex Ennio vocabulum Mavors petitum est, a quo usurpatur Ann. 104:

Nerienem Mavortis et Herem;

sententiam „tristesque ex aethere Dirae" Ennianam originem prodere iam ostendimus [2]); Discordiae, belli deae, mentio fit Ann. 266 sq.:

postquam Discordia taetra
belli ferratos postes portasque refregit.

Praeterea si tecum reputaveris, apud Homerum quoque Martem et Enyonem proelio interesse, cf. Il. V 332 sq.:

αἵ τ' ἀνδρῶν πόλεμον κάτα κοιρανέουσιν,
οὔτ' ἄρ' Ἀθηναίη οὔτε πτολίπορθος Ἐνυώ

et Il. V 591 sq.:

ἅμα δὲ Τρώων εἵποντο φάλαγγες
καρτεραί· ἦρχε δ' ἄρα σφιν Ἄρης καὶ πότνι' Ἐνυώ

et Plautum Mavortem una cum Bellona commemorare Bacch. 847:

nam neque Bellona mi umquam neque Mars creduat

et ab aliis in tragoediis quidem esse commemoratos dicit Amph. prol. 41 sqq.:

ut alios in tragoediis
vidi, Neptunum, Virtutem, Victoriam
Martem, Bellonam commemorare

Ennium quoque Bellonam proeliis intentam finxisse persuasum habebis. Hoc autem versu Horatium re vera poetae Rudini quendam locum imitandum sibi proposuisse conicienti ansam dant verba „hunc circumtonuit". Nam vocabulo „circumtonare", quod haud saepe in litteris Romanis invenitur, poetae epici potissimum in proeliis narrandis utuntur; cf. Sil. Ital. IV 253:

saevisque virum circumtonat armis

et VI 216: iamque ubi feralem strepitu circumtonat aulam

Dubia est lectio Verg. Aen. VIII 474:

hinc Rutulus premit et murum circumsonat armis,

cum in codice M scriptum videamus CIRCUMSONAT (T supra S). Haec autem

---

[1]) cf. praeterea Ovid. Met. V 155 sq.; Lucani VII 568; Val. Flacc. II 228; Sil. Ital. IV 439, V 220 sq.; Stat. Theb. II 718 sq.; VII 73 sq.

[2]) cf. p. 23.

varietas parvi momenti est, quod vox „circumsonare“ pari modo usitatur; cf. Ovid. Trist. IV 10, 111:

hic ego finitimis quamvis circumsoner armis

et V 3, 11: non procul a patria Geticis circumsonor armis. Iam cum apud Livium, Ennii imitatorem, III 28, 3 „clamor hostes circumsonat“ legamus, et hunc dicendi usum ex Ennio profectum esse et Horatium totum versum luminibus Ennianis, quae translate intelligenda esse paene supervacaneum est dicere, ornavisse probabiliter statuimus.

5) Poetam clausulam Sat. II 5, 4: patriosque Penates[1]) quippe quam exhibeant Verg. Aen. II 717:

tu, genitor, cape sacra manu patriosque penatis

et Ovid. Her. III 67: patriique penates

iocantem ex Ennio detorsisse verisimile est.

6) Sat. II 8, 34:

nos nisi damnose bibimus, moriemur inulti

Vibidius facete clausula epico pondere gravi abutitur, quae ex Ennio fluxisse putanda est, cum a Vergilio quoque usurpetur: cf. Aen. II 670:

proelia. numquam omnes hodie moriemur inulti

et IV 659: dixit et os impressa toro ‘moriemur inultae.

Praeterea velim contendas Ovid. Met. IX 131:

excipit hunc Nessus. ‘neque enim moriemur inulti

et Fast. II 233:

mox tamen ipse perit: sic non moriuntur inulti.

Eodem modo, quo comparatis inter se Horatii et Vergilii versibus similibus, Enniana enucleari licere Horatianis cum Ovidianis locis congruentibus nemo non videt. Quare si contendimus

1) Sat. I 5, 9 sq.: iam nox
caelo diffundere signa parabat

quae verba parodice dicta esse iam dudum intellexerunt viri docti, cum Ovid. Met. XI 309:

nox caelum sparserat astris

---

[1]) Inter se congruunt Sat. II 5, 4 sq.: patriosque penatis
adspicere
et Verg. Aen. II 577 sq.: patriasque Mycenas
aspiciet

Sed cum adhuc sub iudice lis sit, num Aeneidis libri II versus inde a 567 ad 588 a Vergilio sint abiudicandi necne, de concentu locorum nihil dicere ausim.

Ennii utrumque memorem fuisse censendum est. Cum similes versus exhibeant Cic. Arat. 397:

Hydraque, quod late caelo dispersa tenetur

Lucret. I 9: nitet diffuso lumine caelum

IV 202: per totum caeli spatium diffundere sese

et nuperrime Martinus Guendel collatis Ciceronis et Lucretii locis communibus de consensu recte ita iudicaverit[1]) „similitudine igitur eorum, quae tractant poetae, factum est, ut Ennii uterque memor in eandem saepissime dictionem inciderit. Ennium uterque sequitur, ad eius genus dicendi cum in reliquis accedere quam proxime studuit uterque, tum in iis, quae docere et enarrare carmine toto sibi proposuit", hoc quoque argumento origo Enniana firmatur. Vocem „spargere" vel aliam eiusdem significationis ex Ennio profectam esse, iam Guendel coniecit, afferens[2]) Cic. Arat. 137:

disperso lumine fulgens

105: late dispersum

Lucret. V 664: dispersos ignis orienti lumine cerni

Cic. Arat. 419: late fusa volat

164: cum lumine fusae

Lucret. V 469: et late diffusus

III 22: large diffuso lumine rident

Addo praeter Lucret. I 9, IV 202, Cic. Arat. 397 modo laudatos

Lucret. IV 375: nova se radiorum lumina fundunt

et Cic. Arat. 156: (stellae) fusae sparsaeque videntur.

2) Sat. II 4, 10:

ede hominis nomen, simul et, Romanus an hospes

poeta ludibundus Enni quendam versum in usum suum vocare videtur, quem Ovidius quoque ante oculos habuit

Met. III 580: ede tuum nomen nomenque parentum.

3) Initium versus Sat. II 5, 39:

persta atque obdura

cuius vis comica e totius loci indole elucet, ex Ennio videtur depromptum esse, cum similiter incipiat Ovidius versus

Am. III 11, 7: perfer et obdura! dolor hic tibi proderit olim

A. A. II 178: perfer et obdura; postmodo mitis erit

Trist. V 11, 7: perfer et obdura, multo graviora tulisti.

[1]) l. c. p. 76.

[2]) l. c. p. 74 sq.

II. DE PARODIA GENERALI.

Pertractatis priore parte huius dissertationis eis versibus, quibus poeta Venusinus ludibundus certi auctoris vestigia pressit, enumeranda sunt exempla parodiae generalis. Quo in numero duco omnes locos, quibus Horatius sententias totas vel singulas voces poetis communes vel omnino artificia poetica cavillatus in usum suum vocat. Atque primum quidem agamus

a) DE VERSUUM INITIIS.

1) Sat. I 1, 100: divisit medium, fortissima Tyndaridarum Horatius per iocum morem poetarum epicorum imitatur, qui ea verba, quae vulnerandi significationem habent, in fronte versus ponere solent. Cf. Enn. A. 551 sq.:

me gravis impetus Orci
percutit in latus

Verg. Aen. IX 633 sq.:

perque caput Remuli venit et cava tempora ferro
transigit

X 399 sq.: tum Pallas biiugis fugientem Rhoetea praeter
traicit

X 698 sq.: sed Latagum saxo atque ingenti fragmine montis
occupat os

XI 684 sq.: hunc illa exceptum (neque enim labor agmine verso)
traicit

XII 506 sqq.: haut multa morantem
excipit in latus et, qua fata celerruma, crudum
transadigit costas

Ovid. Met. IX 127 sq.: et missa fugientia terga sagitta
traicit

XII 350 sq.: robore Nedymnum iaculatoremque Lycetum
sternit

2) Intermixtis sermoni vulgari sententiis poeticis Priapus Sat. I 5 spectaculum actionis magicae, cuius nuper testis fuit, describit. Locutiones grandes a poeta parodice adhiberi, vix est quod moneam. Ita initium Sat. I 8, 23:

vidi egomet nigra succinctam vadere palla,

qua sententia iam Ennius scen. 94:

vidi ego te adstantem ope barbarica

vim narrationis auxit, poetis tritum, cf. Cic. frg. XXII 11:

vidimus immani specie tortuque draconem

21: vidimus in mediis divom versarier aris
Verg. Aen. II 501:
vidi Hecubam centumque nurus Priamumque per aras
III 623: vidi egomet duo de numero cum corpore nostro
VI 585: vidi et crudelis dantem Salmonea poenas
Prop. I 13, 14:
vidi ego: me quaeso teste negare potes?
IV 2, 53: vidi ego labentes acies et tela caduca
Tibulli I 2, 89:
vidi ego, qui iuvenum miseros lusisset amores
Ovid. Am. I, 2, 11; II 2, 47; II 12, 25; Her. III 47, 49; Fast. VI 363, 365; Met. XII 327; XIV 183; XV 262; Trist. II 143; III 4, 37: III 5, 11; III 10, 37; III 10, 49; V 8, 11; ex. P. I 1, 51 risum movet. Item parodiam prodit

3) Sat. I 8, 40: singula quid memorem.

Similia sunt initia Enn. A. 314:
sed quid ego haec memoro
Catull. 64, 116 sq.: sed quid ego a primo digressus carmine plura commemorem
Verg. Aen. VIII 483: quid memorem infandas caedes
Catal. IX 41: nam quid ego immensi memorem studia ista [laboris
Ovid. Am. I 5, 23: singula quid referam
Ovid. Am. III 6, 33; III 11, 21; III 12, 35; A. A. I 255, 283; Trist. III 7, 43; IV 10, 101 ex P. I 3, 81.

4) Poeta Venusinus, quem Sat. II 6 fabulam, qua de mure agresti et urbano agitur, iocose epico ornatu narrare iam diximus, Sat. II 6, 88:

cum pater ipse domus palea porrectus in horna

versum incipit a monosyllabo, quod vox pater sequitur, ad epicam dictionem sese applicans. Haec exempla notavi:

at pater Lucret. V 399; Verg. Aen. II 687; V 545, 700; VI 592: Ovid. Met. II 304, 401; III 336; VIII 231; cui pater Verg. Aen. I 345; et pater Verg. Aen. III 263, 343, 558; V 241; VI 780; huc pater Verg. G. II 4; iam pater Verg. Aen. I 699; me pater Ovid. Her. I 81; nam pater Cic. frg. III 36; Ovid. Met. II 329; nec pater Ovid. Her. X 131; o pater Enn. A. 113; Verg. Aen. X 18; quam pater Ovid. Met. VIII 145; quem pater Ovid. Met. IX 271; quis pater Enn. A. 463; sed pater Verg. Aen. I 60; sic pater Verg. Aen. III 716: tu pater Lucret. III 9; tum pater Verg. G. II 325; Aen. V 348, 461; VII 770; VIII 115; X 100, Ovid. Met. I 154.

b) DE VERSUUM CLAUSULIS.

1) Sat. I 1, 100: fortissima Tyndaridarum liberta per ludibrium dicitur. Versuum exitus huiusce generis in animum revocantur: Hom. Od. I 14:

Καλυψώ, δῖα θεάων

IV 305: Ἑλένη ... δῖα γυναικῶν

Il. I 69: Κάλχας Θεστορίδης, οἰωνοπόλων ὄχ' ἄριστος

Enn. A. 18: Venus quem pulchra dearum

22: constitit inde loci propter sos dia dearum

64: respondit Iuno, Saturnia, sancta dearum

491: optima caelicolum, Saturnia, magna dearum

456: o genitor noster Saturnie, maxime divum

Catulli 68, 138: saepe etiam Iuno, maxima caelicolum

Verg. Aen. I 555: pater optume Teucrum

II 281: spes o fidissima Teucrum

VIII 154: ut te, fortissime Teucrum

Ovid. Met. XII 219: nam tibi saevorum saevissime Centaurorum.

Eadem ratione poeta epicum dicendi genus cavillatur Sat. I 3, 136:

rumperis et latras, magnorum maxime regum

quo versu salsissime in Stoicum iocatur, et Sat. II 3, 190:

dicere quod sentit permitto. 'maxime regum

cuius versus vis comica ex indole totius diatribae elucet.

2) Sat. I 2, 33: inflavit taetra libido [1])

Horatius per iocum clausulam apud poetas usitatissimam mutuatur. Similiter enim in calce versus dicunt Lucret. III 59 caeca cupido; III 1077 tanta cupido; IV 1046 dira lubido; IV 1057 muta cupido; IV 1115 conlecta cupido; Verg. G. I 37, Aen. VI 373, 721, IX 185 dira cupido; Aen. VI 823 immensa cupido; Aen. IX 760 insana cupido; Ovid. A. A. I 281 furiosa libido; Fast. I 211 furiosa cupido; Met. VI 458 innata libido.

3) Aperta est ironia Sat. I 6, 73:

quo pueri magnis e centurionibus orti,

cuius finem conferas cum Enn. A 113:

o pater, o genitor, o sanguen dis oriundum

220: Poenos Sarra oriundos

290: Poenos Didone oriundos

Cic. frg. III 43: Mavortis semine natos

Verg. IX 672: Pandarus et Bitias, Idaeo Alcanore creti.

---

[1]) Antecedentem quoque versum Sat. I 2, 32 cavillationis notas prae se ferre iam p. 21 sq. monui; cf. praeterea, quae p. 36 ad Sat. I 2, 31 sq. exponam.

4) Poeta Venusinus, qui tota satura II 4 Catium ludibundus grandi et magnifico sermone utentem facit, Sat. II 4, 1:

'unde et quo Catius?' 'non est mihi tempus a v e n t i

voce eleganti „avere" hexametrum terminat, ut Lucret. II 216:

illud in his quoque te rebus cognoscere a v e m u s

III 259: compta modis vigeant rationem reddere a v e n t e m

IV 778: clarandumst, plane si res exponere a v e m u s

V 1019: tunc et amicitiem coeperunt iungere a v e n t e s

Ovid. Met. II 503: nescius extimuit, propriusque accedere a v e n t i

Sil. Ital. V 533: raptabant cursu et cessata reponere h a v e b a n t

VII 22: imperia haud frustra reputans, cognoscere h a v e b a t,

quo in usu Ennius praecessisse videtur [1]). Eiusdem saturae

5) versibus 12:

longa quibus facies ovis erit, illa m e m e n t o

et 89: ducere me auditum, perges quocumque, m e m e n t o

clausulam poeticam detorquet, quae legitur Lucret. II 66:

praebere m e m e n t o

Verg. Buc. III 7: parcius ista viris tamen obicienda m e m e n t o

Aen. II 549: narrare m e m e n t o

Aen. VII 126: tum sperare domos defessus ibique m e m e n t o

Prop. II 13, 39: tu quoque si quando venies ad fata, m e m e n t o

II 19, 27: tu quotiens aliquid conabere, vita, m e m e n t o

Tib. I 8, 27: nec tu difficilis puero tamen esse m e m e n t o

Horat. carm. I 7, 17: perpetuos, sic tu sapiens finire m e m e n t o

Ovid. Her. XIII 67: vitare m e m e n t o

Trist. III 11, 29: me quoque, quem noras olim, non esse m e m e n t o.

6) Sat. II 5, 49: si quis casus puerum e g e r i t O r c o [2]).

Hanc clausulam a poetis Romanis ex Homero repetitam, cf. Il. I 3:

πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς Ἄϊδι προΐαψεν

V 190: καί μιν ἐγώ γ' ἐφάμην Αἰδωνῆϊ προϊάψειν

VI 487: οὐ γάρ τίς μ' ὑπὲρ αἶσαν ἀνὴρ Ἄϊδι προϊάψει

XI 55: πολλὰς ἰφθίμους κεφαλὰς Ἄϊδι προϊάψειν,

in contrarium quidem conversam invenimus Lucilii 31:

non Carneaden si ipsum Orcus remittat

tum apud Varronem Reatinum saturae Menippeae „Prometheus liber" inscriptae frg. 1: ego infelix nón queam

vim própulsare atque ínimicum O r c o i m m i t t e r e

---

1) cf. Skutsch in Pauly-Wiss. encyclop. V 2617, 66 sq.

2) de versuum sub numeris 6, 7, 8 tractandorum vi parodica cf., quae p. 14 disputavi.

tum apud Vergilium Aen. II 398:

conserimus, multos Danaum demittimus Orco

Aen. IV 699: abstulerat Stygioque caput damnaverat Orco

IX 527: ediderit, quem quisque virum demiserit Orco

IX 785: ediderit? iuvenum primos tot miserit Orco.

Pariter iam Ennium versum clausisse conicientes non a vero aberrare videmur.

7) Idem lepor, qui II 4, 12 et 89, existit II 5, 52:

abnuere et tabulas a te removere memento.

8) In eandem sententiam atque Sat. II 5, 99:

cum te servitio longo curaque levarit

exeunt Enn. A. 335: curamve levasso

Lucret. II 365: curaque levare

Tibulli III 3, 21: curaeque levantur

Ovid. Met. V 500: curaque levata.

Praeterea velim contendas Pacuv. Ilion. frg. IV:

matér, te appello, tú, quae curam sómno sus-[pensám levas

Catulli II 10: et tristis animi levare curas

Ovid. Fast. V 238: non, inquit, verbis cura levanda meast.

9) In fabula narranda Horatius Sat. II 6, 99:

ambo propositum peragunt iter, urbis aventes

iocose clausula poetis trita abutitur. Exempla attuli sub numero 4.

c) DE SENTENTIIS POETICIS.

1) In re obscena adhibetur Sat. I 2, 31 sq.:

macte

virtute esto,

quam locutionem poetis communem fuisse apparet hisce exemplis:

Lucil. 225: macte, inquam, virtute simulque his viri-[bus esto

Pacuv. Dulor. XXII: macte ésto virtute, óperaque omen ádproba

Verg. Aen. IX 641: macte nova virtute puer: sic itur ad astra

Sil. Ital. X 277: macte o virtute paterna

2) Sat. I 5, 103: tristis ex alto caeli demittere tecto[1]).

Hanc circumlocutionem, cuius in usu congruunt Cic. Arat. 47:

lato sub tegmine caeli

233: caeli sub tegmine signum

239: caeli sub tegmine fulti

---

[1]) hoc de versu vide quae dixi p. 23.

346: caeli de tegmine sumens
et Lucret. I 988: sub caeli tegmine posset
II 662: sub tegmine caeli
II 1110: caeli domus altaque tecta
V 1016: caeli sub tegmine ferre [1])

secundum ea, quae docuit Guendel [2]) de locis utrique poetae communibus, iam Ennium usurpasse sumendum est.

3) Festivo verborum splendore poeta noctem ruentem describit Sat. I 5, 9 sq.: iam nox inducere terris umbras.

Huius dicendi usus originem duco ex Apollonii Rhodii Arg. III 744:

νὺξ μὲν ἔπειτ᾽ ἐπὶ γαῖαν ἄγεν κνέφας.

Apud Romanos similia primum leguntur Lucret. V 650:

at nox obruit ingenti caligine terras

et VI 864: hoc ubi roriferis terram nox obruit umbris, ubi vestigia Enniana cognoscis conferens Enn. A. 434 sq.:

interea fax
occidit oceanumque rubra tractim obruit aethra

Contendatis porro Lucret. VI 852:

nox ubi terribili terras caligine texit,

quem versum item Ennium redolere coniecit Guendel [3]) comparans Cic. Pr. I 2: caeca caligine tecti
et Arat. 194: obscura caligine tectam.

Verbum „inducere" et substantivum „nox" sibi vicina praebet Lucret. I 142: suadet et inducit noctes vigilare serenas. Et hoc versu Enniana inveniuntur, cf. Enn. A. 396:

in nocte serena,

et antecedente Lucret. I 141:

suavis amicitiae quemvis sufferre laborem,

quocum contendas Enn. A. 425: sufferre laborem.

Quae omnia tecum reputans, Ennium ut alias [4]) ita hanc sententiam ab Horatio iocose prolatam ex Apollonio mutuatum esse persuasum habebis. Cf. praeterea Lucret. V 777:

et neque opinantis tenebris obducere terras

Verg. Aen. IV 351 sq.: quotiens umentibus umbris
nox operit terras

[1]) Exemplis quae attulit Wreschniok l. c. p. 44, mea inserui.
[2]) eius verba exscripsi p. 31.
[3]) l. c. p. 71.
[4]) cf. Pauly - Wiss. encyclop. V 2613, 10 sqq.

Ovid. Met. I 598: cum deus inducta latas caligine terras
II 307: unde solet nubes latis inducere terris
II 309: sed neque quas posset terris inducere nubes
XV 652: umbraque telluris tenebras induxerat orbi
Fast. V 163: at simul inducent obscura crepuscula noctem.

4) Ad epicam maiestatem Priapi narratiuncula insurgit Sat. I 8, 21 sq.: simul ac vaga Luna decorum
protulit os.

Hanc dictionem, quam exhibent Cic. Arat. 113 sq.:
hic ubi se pariter cum Sole in lumina caeli
extulit
350 sq.: nam simul ac primum supero se lumine Cancer
extulit
454 sq.: profert simul Anguis
iam caput
460 sq.: et simul effert
sese clara Fides
Catull. 62, 29: nec iunxere prius quam se tuos extulit ardor
Tibull. IV 1, 123: cum Sol caput extulit undis
Verg. Aen. VIII 591:
extulit os sacrum caelo
Ovid. Fast. II 149:
quintus ab aequoreis nitidum iubar extulit undis
V 419: hinc ubi protulerit formosa ter Hesperus ora[1])
ex Ennio fluxisse verisimile est.

5) Epicum dicendi usum poeta cavillatur[2]) Sat. II 3, 197:
mille ovium insanus morti dedit, inclutum Ulixen.

Locutionem „morti (leto, neci) dare“ pro verbo simplici „occidere“ usurpant Enn. scen. 334:
liberi leto dati
Pacuv. Dul. XXIV: te . . . . leto dabit
Lucret. VI 1144: inde catervatim morbo mortique dabantur

---

[1]) praeterea contende hos versus Horat. epod. II 17 sq.:
vel cum decorum mitibus pomis caput
Autumnus agris extulit
Ovid. Met. XV 31: et caput extulerat densissima sidereum nox
Trist. III 10, 9: Hiems squalentia protulit ora
Hunc dicendi usum in sensum obscenum convertit auctor corp. Priap. carminis LXXXIII 4 sq.: nec viriliter
iners senile penis extulit caput.

[2]) cf. p. 20 huius diss.

VI 1255: corpora paupertate et morbo dedita morti
Verg. G. III 480: et genus omne neci pecudum dedit
IV 90: dede neci
Aen. V 806: milia multa daret leto
XII 328: multa virum volitans dat fortia corpora Leto
Ovid. Her. II 147; XIV 116; Fast. VI 466; Met. III 120, 547; V 479; VI 297; XI 374; XII 344, 378, 458; Trist. II 398.

6) Sat. II 5, 39 sq.: seu rubra canicula findet
infantis statuas

Horatius vocabulum „aestas" pluribus vocibus explicat ita, ut versu 39 in animum revocet sententiam poeticam, quae est caniculam (aestum) findere terram; cf. Catull. 68, 62:

cum gravis exustos aestus hiulcat agros
Verg. G. II 353: hoc, ubi hiulca siti findit canis aestiper arva
Tibull. I 7, 21: qualis et, arentes cum findit Sirius agros
Priap. 63, 2: agente terra per caniculam rimas
Stat. Theb. IV 708 sq.:
et patris undosi sonitus exspectat hiulca
Aegyptos;

huius dictionis elegantiam corrumpit, cum a via quasi deflectens pro voce exspectata „terra" vel alia similis significationis versu 40 substituit locutionem „infantes statuas" e proverbio petitam.

7) Sat. II, 6, 97: haec ubi dicta

Horatius iocose epicam sententiam notissimam in mentem revocat iam a Lucilio salse adhibitam versu 18:

—◡◡ haec ubi dicta, dedit pausam ore loquendi

Invenitur Verg. Aen. I 81:

haec ubi dicta, cavom conversa cuspide montem
II 790: haec ubi dicta dedit, lacrimantem et multa volentem
V 315: haec ubi dicta, locum capiunt signoque repente
VI 628: haec ubi dicta dedit Phoebi longaeva sacerdos
VII 323: haec ubi dicta dedit, terras horrenda petivit
VII 471: haec ubi dicta dedit divosque in vota vocavit
VIII 175: haec ubi dicta, dapes iubet et sublata reponi
VIII 541: haec ubi dicta dedit, solio se tollit ab alto
X 633: haec ubi dicta dedit, caelo se protinus alto
XII 81: haec ubi dicta dedit rapidusque in tecta recessit
XII 441: haec ubi dicta dedit, portis sese extulit ingens.

Hanc formulam ex Ennio fluxisse coniecerunt Norden l. c.

p. 366 sq.; Marx ad Lucil. 18; Skutsch in Pauly-Wiss. encyclop. V 2618, 63 sq.[1])

8) Cum verbis Sat. II 6, 100 sq.: iamque tenebat
nox medium caeli spatium[2])
parodice dictis conferas quaeso Enn. A. 102:
cum superum lumen nox intempesta teneret
Cic. Arat. 404: ipse autem praeceps obscura nocte tenetur
Lucret. V 980 sq.: ne terras aeterna teneret
nox
Verg. Aen. III 587: et lunam in nimbo nox intempesta tenebat
IV 461: nox cum terras obscura teneret
V 721: et nox atra polum bigis subvecta tenebat.

9) Vi comica adhibetur Sat. II 8, 61 sqq.:
heu Fortuna
ut semper gaudes inludere rebus
humanis
locutio poetica, cuius dictionis exempla inspicias p. 28.

Sequitur, ut afferam

d) SINGULA VOCABULA

ex usu communi poetis trita, quae inveniuntur versibus parodicis.

1) „Umbra“ pro tenebris exhibent Horatius versu Sat. I 5, 10: umbras[3]) et caelo diffundere signa parabat Cic. Arat. 338; Lucret. IV 537, V 688, 973; Catull. 63, 41; Verg. Buc. VIII 14; Georg. I 366; Aen. II 251, 420, 621; III 589; IV 7, 351; VI 268; IX 314, 373; XI 210; Ovid. Am. I 8, 13; Ib. 153. Hoc verbum propter Ciceronis et Lucretii consensum ex Ennio videtur fluxisse.

2) „Signa“ dicit Horatius astra versu Sat. I 5, 10:
et caelo diffundere signa parabat,
de quo disputavi p. 30 sq., Enn. A. 211:
caelum cum ingentibus signis
433: nox quando mediis signis praecincta volabit
Cic. Arat. 319: ardentia signa
337: tot caelum rursus fugientia signa revisunt
Lucret. I 2: caeli subter labentia signa

---

[1]) Simili locutione lusit Varro Sexag. frg. X: „‘vix effatus erat’ cum more maiorum ultro carnales arripiunt, de ponte in Tiberim deturbant“ et eadem Petronius 61 § 5: „satis est rideri quam derideri. Haec ubi dicta talem fabulam exorsus est.“

[2]) cf. Od. XIII 269: *νὺξ δὲ μάλα δνοφερὴ κάτεχ᾽ οὐρανόν.*

[3]) cf. p. 37 sq.

V 1190: noctis signa serena
Verg. Buc. IX 46: signorum suspicis ortus
Georg. I 257: nec frustra signorum obitus speculamur et ortus
Aen. VII 138: noctisque orientia signa
Ovid. Fast. III 113: non illi caelo labentia signa tenebant.

3) Ironice Horatius ea significatione, quam habet proles
Sat. I 6, 12: contra Laevinum, Valeri genus ....
vocem „genus“ adhibet, qua utuntur Catull. 61, 2:
cultor, Uraniae genus
Horat. Sat. II 5, 63:
demissum genus Aenea
carm. I 3, 27: audax Iapeti genus
II 4, 15: regium certe genus
Verg. Aen. IV 12: credo equidem, nec vana fides, genus esse deorum
VI 500: Deiphobe armipotens, genus alto a sanguine Teucri
VI 792: Augustus Caesar, divi genus, aurea condet
VI 839: ipsumque Aeaciden, genus armipotentis Achilli
VII 213: rex, genus egregium Fauni
VII 556: egregium Veneris genus et rex ipse Latinus.

4) Poetarum est vox „letum“, quam exhibent Horat.
Sat. II 6, 95: aut magno aut parvo leti fuga[1])
Enn. A. 398; scen. 109, 134, 334; Verg. Aen. II 134; III 685, 654; V 690, 806; VI 434; VIII 566; X 450, 622; XII 636; Ovid. Met. VIII 518, XIII 162, XV 763.

5) Ut verbo „divisit“ in initio versus posito, ita Horatius adiectivo „medium“ Sat. I 1, 100:
divisit medium, fortissima Tyndaridarum
epicum dicendi genus cavillatur. Cf. Il. V 582:
χερμαδίῳ ἀγκῶνα τυχὼν μέσον
V 657: ὃ μὲν βάλεν αὐχένα μέσσον
VII 145: δουρὶ μέσον περόνησεν
X 455: ὃ δ' αὐχένα μέσσον ἔλασσεν
XVI 623: εἰ καὶ ἐγώ σε βάλοιμι τυχὼν μέσον ὀξέι χαλκῷ
XVII 313: μέσην κατὰ γαστέρα τύψεν
XX 413: τὸν βάλε μέσσον ἄκοντι
Od. XX 306: ἦ γάρ κέν σε μέσον βάλον ἔγχεϊ ὀξυόεντι
XXII 295: δουρὶ μέσον κενεῶνα
Verg. Aen. IX 588:
et media adversi liquefacto tempora plumbo
diffidit

[1]) de parodiae notis vide, quae dixi p. 25.

IX 750: et mediam ferro gemina inter tempora frontem dividit

X 382 sq.: intorto figit telo, discrimina costis
per medium qua spina dabat

XII 926: per medium stridens transit femur

Ovid. Met. VI 227:
,ei mihi' conclamat medioque in pectore fixa tela gerit

XII 389: (stabat enim propior) mediam ferit ense sub alvum.

Poetis Romanis Ennium in hoc vocabulo usurpando praecessisse verisimile est.

6) Sat. I 2, 70: magno prognatum deposco consule cunnum adiectivo „prognatus" poetis potissimum usitato, cf. Naev. Bell. Poen. frg. 32, 2: sanctús Iové prognátus Pútiús Apóllo
Lycurg. frg. XXI: proinde húc Dryante régem prognatúm patre
Enn. A. 37: Eurydica prognate
scen. 357: Tantalo prognatus
hoc loco singularem leporem inesse, iam Baehrens ad Catulli 64, 1:
Peliaco quondam prognatae vertice pinus
adnotavit.

7) In usu adiectivi „vagus", stellarum epitheti, Horatius Sat. I 8, 21: simul ac vaga Luna decorum
de quo versu egi p. 38, congruit cum Cic. Arat. 230:
sic malunt errare vagae per nubila caeli
Lucret. V 1191: noctivagaeque faces caeli
Egnat. frg. II 1: roscida noctivagis astris labentibus Phoebe
Catull. 64, 271: vagi .... solis
Tibull. IV 1, 76: vagi .... solis
Ovid. Fast. I 310: vaga signa.

8) „Inclutus" habent Horatius versu parodico[1]) Sat. II 3, 197:
mille ovium insanus morti dedit, inclutum Ulixen
Naevius Bell. Poen. frg. 32, 1:
deindé polléns sagíttis ínclutús arquítenens
Enn. Ann. 502: augusto augurio postquam inclita condita Roma est
In eadem, qua apud Horatium, sede invenitur Enn. Ann. 129:
Oratius inclutus saltu
146: dedit inclytus signum
Lucret. I 40: incluta pacem

---

[1]) cf. p. 20.

II 1080: inclute Memmi
III 10: inclute chartis
Verg. Aen. II 82: incluta fama
II 241: incluta bello
VI 781: incluta Roma
VI 479: inclutus armis
XII 179: inclute Mavórs

Ovid. Met. IX 229; XII 173; XIII 178.

9) Vocem poeticam „memorare" Horatius adhibet versibus Sat. I 5, 53: musa, velim memores
et Sat. I 8, 40: singula quid memorem
p. 19 et 33 iam tractatis, Enn. A. 2, 36, 111, 158, 178, 314, 503, 529, 539; Lucret. II 630; III 1009; VI 1067; Prop. II 1, 25; II 10, 3; III 11, 69; Tibull. II 5, 9; IV 1, 191; Verg. Aen. I 8, 327; II 650; III 182; V 743; VII 645; VIII 339, 483; IX 250, 324; Catal. IX 41, Ovid. Met. VII 519, 862; X 209; XIII 13; XV 325.

10) „Vadere" legitur versu parodico Sat. I 8, 23:
vidi egomet nigra succinctam vadere palla
Enn. A. 273, 479; Lucil. 795; Catull. 63, 31 et 86; Verg. Aen. II 359; III 462; IV 223; V 548; VI 263; VIII 702; XI 176; Ovid. Met. XI 137; Trist. I 1, 3; I 1, 15; III 7, 1.

11) Adverbio „iam" poeta versibus antecedentibus temporis designationem annectit Sat. I 5, 9:
iam nox inducere terris | umbras
I 5, 20: iamque dies aderat
II 6, 100: iamque tenebat
nox medium caeli spatium
quem usum invenis Verg. Aen. III 588; IV 584; VI 536; VII 25; IX 459; X 215; Culicis 42, 107; Ovid. Met. III 144; IV 399; Tibull. III 4, 17.

12) Sat. II 8, 54: interea suspensa gravis aulaea ruinas
in patinam fecere
Horatius salse consuetudinem poetarum epicorum imitatur, qui adverbio „interea" utuntur transeuntes ad nova argumenta narranda, cf. Verg. Aen. I 124, 479; III 472, 568; IV 160; V 755; VI 703; IX 159, 367, 473; X 118, 287, 439, 575, 833; XI 896; XII 161, 384, 614; Ovid. Met. I 600; II 381; V 438; VII 262; VIII 6, 547, 669; IX 262; XI 410; XIV 397, significatione principali Vergili quidem temporibus iam obsoleta [1]).

[1]) cf. R. Heinze, „Vergils epische Technik" p. 381.

Restant denique loci, quibus Horatius

e) ARGUMENTA ET ARTIFICIA

quaedam, quae quasi ad supellectilem poeticam pertinebant, arte ludibunda adhibita in usum suum convertit, quorum conspectum iam habeamus.

1) Sat. I 7, 1: Rupili pus atque venenum

Horatius ad exemplar ἱερὸν μένος Ἀλκινόοιο, ἱερὴ ἲς Τηλεμάχοιο, similium conformavit, quae dicendi consuetudo ab Homero suscepta in communem usum poetarum Romanorum cesserat. Exempla, quae inde ab Ennio usque ad Vergilium inveniuntur, collegit Krueger dissertationis „Vergili Aeneis quibus in rebus iudicanda sit secuta esse exempla veterum poetarum Latinorum Ennii, Lucretii aliorum", Ienae 1874, p. 13 sq.

Item lusit poeta Sat. II 1, 72:

virtus Scipiadae et mitis sapientia Laeli

ubi quam iocose epica verborum granditas distet a vocibus versus sequentis „nugari" et „ludere" nemo non videt.

2) Mos erat poetarum epicorum, ut rebus narrandis temporum descriptiones fusas intexerent, quo de usu Quintilianus VIII 6, 59 haec dicit: „Pluribus autem verbis cum id, quod uno aut paucioribus certe dici potest, explicatur, περίφρασιν vocant, circuitum quendam eloquendi, qui non numquam necessitatem habet, quotiens dictu deformia operit: ut Sallustius „Ad requisita naturae". Interim ornatum petit solum, qui est apud poetas frequentissimus

Tempus erat, quo prima quies mortalibus aegris
incipit et dono divum gratissima serpit.

Ad hanc consuetudinem Horatius se applicat Sat. I 5, 9 sq. et II 6, 100, quos versus iam supra (cf. p. 37 sq., 40, 43) commemoravimus [1]).

3) Ut poetae prooemio, quod dicitur, quid sint cantaturi docent, ita Catius Sat. II 4, 10:

ipsa memor praecepta canam, celabitur auctor

qua de re acturus sit, indicat.

---

[1]) Eadem ratione iocatur Seneca apoc. II 3 sq.: cum omnes poetae, non contenti ortus et occasus describere, [ut] etiam medium diem inquietent, tu sic transibis horam tam bonam?

iam medium curru Phoebus diviserat orbem
et propior nocti fessas quatiebat habenas
obliquo flexam deducens tramite lucem.

4) Poetae epicum poesis genus colentes res futuras, quas ipsis carminibus fusius narrare non iam poterant, cum extremis quidem digitis attingere vellent, aliquem praedicentem faciebant, velut Homerus, Callimachus, Theocritus, Ennius, Catullus, Vergilius[1]. Hoc artificio Horatius per iocum abutitur vili argumento subiecto Sat. II 5, 62 sqq.:

tempore quo iuvenis Parthis horrendus, ab alto
demissum genus Aenea, tellure marique
magnus erit, forti nubet procera Corano
filia Nasicae, metuentis reddere soldum.
tum gener hoc faciet: tabulas socero dabit atque
ut legat orabit; multum Nasica negatas
accipiet tandem et tacitus leget invenietque
nil sibi legatum praeter plorare suisque.

5) Sat. II 6, 102 sq.:

in locuplete domo vestigia, rubro ubi cocco
tincta super lectos canderet vestis eburnos

Horatius non sine festiva stili gravitate splendorem domus describit, opponens ex more poetarum[2] colorem album et rubrum. Cf. Il. IV 141:

ὡς δ' ὅτε τίς τ' ἐλέφαντα γυνὴ φοίνικι μιήνῃ

Enn. A. 352: et simul erubuit ceu lacte et purpura mixta

Lucil. 1270: purpureamque uvam facit albam pampinum habere

Catull. 64, 48 sq.: Indo quod dente politum
tincta tegit roseo conchyli purpura fuco

Verg. Aen. XII 67 sqq.:

Indum sanguineo veluti violaverit ostro
si quis ebur, aut mixta rubent ubi lilia multa
alba rosa: talis virgo dabat ore colores[3]

Prop. II 3, 11 sq.: ut Maeotica nix minio si certet Hibero
utque rosae puro lacte natant folia

Tibull. III 4, 30:

et color in niveo corpore purpureus

---

[1] cf. Heinze, „Vergils epische Technik“ p. 387 sq.

[2] cf. Zingerle, l. c. I 54, 114 sq., II 10.

[3] cf. Gualtheri de Vogelweide (ed. Paul, Halle 1905) XIIII 19 sq.:

ir wangen wurden rôt
same diu rôse, dâ si bî der liljen stât

et Ariosti Rol. fur. VII 11, 5 sq.:

spargeasi per la guancia delicata
misto color di rose e di ligustri.

Ovid. Met. VI 577:

purpureasque notas filis intexuit albis.

6) Iocose Sat. II 6, 111 sqq.:

cum subito ingens
valvarum strepitus lectis excussit utrumque.
simul domus alta Molossis
personuit canibus

strepitus in domo ortus describitur. Huius usus exempla attuli p. 23.

7) Comica est pompa Sat. II 8, 55 sq.:

trahentia pulveris atri
quantum non aquilo Campanis excitat agris.

Pulverem collectum commemorant Hom. Il. XI 151 sq.:

ὑπὸ σφίσι δ᾽ ὦρτο κονίη
ἐκ πεδίου

XII 253 sq.: ὦρσεν ἀπ᾽ Ἰδαίων ὀρέων ἀνέμοιο θύελλαν
ἣ ῥ᾽ ἰθὺς νηῶν κονίην φέρεν

XIII 335 sq.: ὅτε τε πλείστη κόνις ἀμφὶ κελεύθους
οἳ δ᾽ ἄμυδις κονίης μεγάλην ἱστᾶσιν ὀμίχλην

XXIII 365 sq.: ὑπὸ δὲ στέρνοισι κονίη
ἵστατ᾽ ἀειρομένη ὥς τε νέφος ἠὲ θύελλα

Enn. A. 282: iamque fere pulvis ad caelum vasta videtur

315: pulvis fulva volat

608: stant pulvere campi

scen. 382: crassa pulvis oritur, omnem pervolat caeli fretum

Verg. Aen. XI 876 sq.:

volvitur ad muros caligine turbidus atra
pulvis

XII 407 sq.: iam pulvere caelum
stare vident.

8) Allitteratione, quae dicitur, vis comica efficitur

a) Sat. I 5, 73 sq.:

nam *v*aga per *v*eterem dilapso flamma culinam
*V*olcano summum properabat lambere tectum,

quibuscum conferas Naevii Lycurg. frg. XX:

ut *v*ideam *V*olcani opera haec *f*lammis *f*lora *f*ieri

Enn. A 487: cum magno strepitu *V*olcanum *v*entus *v*egebat

Lucret. I 724 sq.: *f*aucibus eruptos iterum *v*is ut *v*omat ignis
ad caelumque *f*erat *f*lammai *f*ulgura rursum

VI 681: *f*lamma *f*oras vastis Aetnae *f*ornacibus e*ff*let

Verg. Aen. II 758 sq.:

ilicet ignis edax summa ad *f*astigia *v*ento
*v*ol*v*itur, exsuperant *f*lammae, *f*urit aestus ad auras

VII 76 sq.: tum *f*umida lumine *f*ul*v*o
in*v*ol*v*i ac totis *V*olcanum spargere tectis

b) Sat. II 8, 77 sq.: tum in lecto quoque videre*s*
*s*tridere *s*ecreta divi*s*o*s* aure *s*u*s*urro*s*.

9) Apostrophe salse adhibetur Sat. II 8, 84:

Nasidiene, redis mutatae frontis.

Hanc figuram quatenus usurpaverint poetae Romani, nuper exposuit E. Hampel dissertatione „De apostrophae apud Romanorum poetas usu" Ienae 1908.

Versibus adhuc usque tractatis Horatius dictionem poeticam cavillatus est. Quibus addendi sunt loci, qui iocose tangunt

f) SERMONEM IN REBUS PUBLICIS USITATUM.

1) Cives Romani, ut cuiusque census erat, in classes divisi erant, quod artis vocabulum poeta ad feminas describendas transfert Sat. I 2, 47 sq:

tutior at quanto merx est in classe secunda
libertinarum dico.

2) Per ludibrium Trebatium iuris consultum ut legislatorem loquentem facit Sat. II 1, 7 sq.:

ter uncti
transnanto Tiberim sommo quibus est opus alto
inriguumque mero sub noctem corpus habento.

3) In edictum praetorium poeta iocatur Sat. II 2, 51:

si quis nunc mergos suavis edixerit assos [1]).

Iam ad finem huius dissertationis perveni; si vero aliquid ad Horatii saturas melius intellegendas attulisse censebor, operam et oleum perdidisse mihi non videbor.


---

[1]) Item lusit Plautus Mil. Glor. 159 sqq.:

nunc adeo edico omnibus:
quemque a milite hoc videritis hominem in nostris tegulis
extra unum Palaestrionem, huc deturbatote in viam.

VITA.

Gualtherus Leich natus sum die XV mensis Februarii anni MDCCCLXXXVII in vico Burgau iuxta Ienam sito patre Friderico, matre Melana e gente Hertel, quos adhuc inter vivos esse valde gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Vimariae primis litterarum elementis imbutus decem annos natus adii gymnasium Guilelmo-Ernestinum. Maturitatis testimonium consecutus vere anni 1906 Ienam me contuli studiis philologicis historicisque navaturus operam. Duo semestria ibi commoratus transmigravi Monacum, unde Ienam vere anni 1908 redii. Docuerunt me Ienae viri docti Cartellieri, Delbrueck, Diehl, Dinger, Eucken, Goetz, Graef, Harms, Hirzel, Iudeich, Liebenam, Liebmann, Mentz, Pick, Reichardt, Stoy, Weinel, Wilhelm, Monaci Crusius, Drerup, Furtwaengler †, Lindl, Munker, Otto, Rehm, Vollmer, Weyman. Quibus viris humanissimis gratias ago candidissimas, praecipue autem Georgio Goetz, studiorum meorum fautori benevolentissimo.


3 0112 126256095